



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 96. Inquisitio in vitam, & mores Amadæi Sabaudiaë Ducis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. nominati fuerant, inquirebatur, ubi prout
 A. C. 1439. quisque privato regebatur studio, elector
 aut extulit, aut depressit. Verum au-
 ctis indies Amadæi fautoribus, ipse so-
 lus in alia suffragiorum promulgatione
 die quarto Novembris habita novemde-
 cim, in alio scrutinio viginti & unum,
 totidemque in tertio tulit. Cum vero
 ex Patrum præscripto ad electionis va-
 lorem duarum ex tribus partium con-
 cursus requireretur, & nonnisi unum
 deesset suffragium, ideo combustis sche-
 dulis, rursus ad novam electionem pro-
 cesserunt.

§. XCVI.

*Inquisitio in vitam & mores Amadæi
 Sabaudicæ Ducis.*

Cardinalis Arelatensis, cum ab unius
 suffragantis calculo proximam electi
 sortem dependere intelligeret, decretis
 supplicationibus Deum exorari præcepit,
 ut Electorum suffragia, & animos chari-
 tate conjungere, & Ecclesiæ suæ regi-
 mini Virum pietate, ac zelo insignem
 præficere dignaretur. Cumque Ama-
 dæus præ aliis ad id muneris diligendus
 videretur, studiosius in vitam, moresque
 illius inquiri cæptum est. Nonnulli ho-
 mini laico manus cito imponendas nega-
 bant, indignumque reputabant, Princi-
 pem

pem sæculi uno quasi saltu ad supremam **Sæcul. XV.**
 Ecclesiæ dignitatem eluctari. Alii Vi- **A.C. 1439.**
 rum quondam connubio junctum, ex quo
 etiam liberos suscepisset, ineptum summo
 sacerdotio existimabant. Alii hominem
 rerum Ecclesiasticarum inexpertum, nec
 Doctorem, nec scientiis sacratoribus in-
 structum esse dicebant. Ex adverso A-
 madæi fautores cuncta ista eludere co-
 nantes reponebant, Ducem non equidem
 esse Doctorem, bene tamen doctum, qui
 jam a primis unguiculis Musis sese devo-
 vissset; singulari morum integritate con-
 spicuum, in publicis pietatis exercitiis
 assiduum, divinum officium, etsi Laicus
 esset, singulis diebus recitare solitum.
 Nec illos, qui quondam uxores habuis-
 sent, a Sacerdotio arcendos esse, ex ve-
 terum testimonio comprobatum ibant,
 eoquod & illi, qui adhucdum uxoribus
 adhærerent, facta tamen ex mutuo con-
 sensu separatione olim ad hunc dignitatis
 apicem evecti fuissent.

§. XCVII.

*Amadæus Sabaudicæ Dux in Papam
 electus.*

Denique nonnulli Amadæum tanta E-
 logiorum amplitudine extulerunt, ut
 etiam illorum animos, qui prius eidem
 minus favebant, attraherent; unde is per

M m 2 viginti